



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv  
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de  
Lvgdvni, 1659**

III. Quisnam sunt Templi immunitate priuati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

CAPUT III.

Quinam sint Templi Immunitate priuati?

19. Expressum, quinam illi, queis Templorum immunitas non suffragatur? Dum reus extra locum sacrum comprehensus ad carcerem per cœmeterium ducitur, aut per Ecclesiam etiam si per vim trahatur, & inde recusat exire, fruitur priuilegio? Non; quia hic non confugit ad Ecclesiam, dum liber esset.

20. Si reus blanditijs, & promissionibus, sine coactione è loco sacro eliciatur, & extra eum capiatur, quid? Priuilegio non fruitur; quia ipse sese voluntariè Ecclesiæ munimine abdicavit. Attamen si ei promissa fuit impunitas, aut in eundem locum restitutio, illi data fides seruanda.

21. Reus in Ecclesia captus fuit, & in carcere fori secularis nomine Episcopi detinebatur, donec cognosceret, an immunitatis priuilegio frui deberet; reus hic de carcere ausigit, & postea à iudice seculari captus est: num Ecclesiæ immunitate gaudebit? Minime; quia fuga illi priuilegium primæ detentionis ademit.

22. Quid de publicis latronibus, grassatoribus viarum, depopulatoribus agrorum ad Ecclesiam confugientibus, & de occidentibus, vel mutilantibus in Templis, aut eorum cœmeterijs? Ecclesiæ immunitate priuati sunt. De latronibus, grassatoribus, & depopulatoribus expressè Bulla Greg. XIV. Certè æquum non videtur, vt Ecclesiæ immunitate occidentes, vel mutilantes fruantur, qui in Ecclesia delinquunt.

23. Num qui sagitta, vel plumbea glande in loco sacro existens alium extra locum sacrum occidit, priuilegium amittat immunitatis? Non; quia licet homicidium fuerit in Ecclesia inchoatum, fuit tamen extra Ecclesiam perfectum: potest tamen hic ab Ecclesiæ ministris capi.

24. Amittitur ne immunitas ob quamlibet vulnerationem in Ecclesia factam? Minime, nisi sequatur mors etiam extra Ecclesiam: aut adsit mutilatio, seu abscissio alicuius membra, aut patis corporis, quæ habet officium distinctum à reliquis.

25. Quid si imperem homicidium, aut mutilationem in Ecclesia fieri? Non priuatis ideo Ecclesiæ immunitate; quia pœna lata contra facientes non afficit mandantes, nisi id exprimitur in iure.

698. *Moralis Theologiae Tract. VI. Statu,*

26. *Proditoriè aliquem occidens seu ferro, seu veneno, unde Ecclesia immunitate?* Caret. Profectò dicitur proditor occidere qui aliquem id minimè suspicantem interficit. Quare qui inimicum necat, haud proditor dicitur; licet per infidias, aut à tergo percutiat.

27. *Num Assassini rei gaudent Ecclesia priuilegio?* Non gaudent, ex Constitut. Greg. XIV. Assassini autem nomine cum intelligo, qui pecunia aut pretio ad hominem incavum occidendum ex insidiis, conducitur. Quare qui sine premo aliquem interficit, ut amico rem gratam faciat, non dicitur assassinus. Porro etiam assassini cooperatores, factores, auxiliatores, & receptatores priuilegio immunitatis priuantur.

28. *Quid de hæresi reo?* Non gaudet Ecclesia priuilegio. Dicitur reus hæresis non solum qui cum pertinacia contra fidem sentit, verum etiam qui auxilium, aut fauorem praebet hæreticis.

29. *De crimen autem lœsa Majestatis quidnam?* Qui in personam Principis delinquit, Ecclesia priuatitur immunitatis. Profectò Cardinales inter Principes ad numero. Quod si quæras, quandonam crimen lœsa Majestatis in Principis personam committitur? Tunc committi assero, cùm actio sit in damnum, vel offensam personæ Principis, ut occidendo, vulnerando, percutiendo, coniurando, hostiliter inseguendo Principis personam, reuelando hostibus suum secrenum, ut ab illis capiatur. Idem de consulentibus, auxiliantibus, ut fauorem præstantibus affirmo; hi enim criminis in Principis personam rei putantur.

30. *Quidnam præstandum, antequam reus, qui ad locum suum configerat, curia seculari tradatur?* Primò obtinetur ab Episcopo loci, seu eius Vicario facultas expressa: sede vacante Capituli Vicarius adeundus. 2. Dum reus extrahitur, persona Ecclesiastica interficit ab Episcopo, vel eius Vicario habens facultatem. 3. Non statim ac caput fuerit, laicæ potestati tradatur, sed nomine Episcopi coniiciatur in carcerem, donec ab ipso, vel eius Vicario cognoscatur, an reus sit delicti, cui imposita est priuatio immunitatis.